



PETRI BEMBI  
RERUM VENETARUM  
HISTORIAE

LIBER XII.



O tempore in Istris incommodum acceptum est, fugatis equitibus & militibus reipublicæ cum legato ejus regionis Andrea Suriano, a Christophoro Friapane, qui se in insidiis occultaverat; prædaque facta. quas ob res paulo post Suriano a civibus male audiente, Sebastianus Justinianus a Senatu lectus est, qui legatus Istris regendis eo se statim conferat, cum antea regendis Dalmatis lectus fuisset. Ab hostibus vero Gallis Germanisque Asulum & Marostica facile capta: qui cum in planicie populationes facerent, Epirotis reipublicæ extremum illorum agmen carpentibus, plurimos ex suis non semel amiserunt: quod quidem detrimentum sarcitum cum fœnore est, Vasconibus mille quingentis aucto eorum exercitu. A Fosæ autem Clodiæ municipibus classicula celeriter coacta, fuga-

1511